

Alte Drucke

**CONCIONES || IN EVANGELIA || ET EPISTOLAS, QVAE || per
totam Quadragesima[m] populo in Ecclesia || proponi
solent, è Tabulis F. Iacobi Veldy ...**

Prielee, Gilles vanden

Parisiis, 1567

**FERIA TERTIA HEBDOMADAE SECVNDAE QVADRAGESImae, Epist. 3. Reg.
17.**

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-150295

FERIA TERTIA

ipſo periturus, Matt. 25. Ite maledicti in ignem æternũ.
Chriſtus autem qua erat ſingulari clementia, etiã erga
reprobos illos Iudæos, blando ac ſuaui reſponſo oſtendit
hanc ipſorũ perfidiã, iniquitatẽ, & malitiã, cauſam eſſe
cur à Deo deferrentur, dũ ait, *Quia ego vado, vos non poteſtis
venire.* quaſi dicat, Ego per crucem, mortem, ac ſepul-
turam pergo ad gloriam, vitam, & reſurrexionem. Vos
autem quia de hoc mundo eſtis, & quæ ſunt mundi diligitis,
ſcilicet, concupiſcentiam carnis, concupiſcentiam o-
culorum, & ſuperbiam vitæ, eò nõ poteſtis venire. Hor-
ret enim caro crucem, ac proinde ad gloriam non po-
teſt accedere, niſi Chriſtum imitetur.

FERIA TERTIA HEBDOMA-
DAE SECUNDÆ QUADRAGESI-
mæ, Epist. 3. Reg. 17.

Luc. 4.

*Factus eſt ſermo Domini ad eum, dicẽs, Sur-
ge, & vade in Sareptã Sidoniorum, & mane-
bis ibi, &c. Finis Epistolæ: iuxta verbum Do-
mini, quod loquutus fuerat in manu Eliæ.*



COMPLECTITUR huius Epistolę historia
ria.

Dei provi-
dentia.

I Primò, Singularem Dei providentiam,
quã, vt voluit Ariſtoteles, non ſolũ erga
vniuerſalia, ſed etiam erga omnia gerit particularia, ma-
ximè tamen erga verbi ſui Prophetas, miniſtros, & præ-
dicatores, quos quum ſoleat mundus odiſſe & perſequi:
nõ enim fert ſua mala corrigi, 1. Ioh. 2. hos in ſuã cliẽte-
lam Chriſtus ſuſcipit, vt olim ſanctiſſimum Eliam tem-
pore famis, 3. Reg. 17. mane, & veſperi pauperat, ad torrẽ-
tẽ Carithi, miniſterio corvini deferentis carnes & panẽ.
Ipſe enim eſt qui dat eſcam omni carni, Pſalm. 134. &
103. Maximè tamen eis qui omnem ſolicitudinem ſuã
in ipſum proiciunt, ſcientes eum ipſorum ſuſcepiffe cu-
ram, 1. Petri 5. Qui licet nunquam ſuorum curam depo-
nat, patitur tamen quandoque ſuos perſecutionibus, in-
edia, paupertate, fame, & anguſtia, aliſque præſentis
vitæ incommodis, ſic affigi, vt ipſos quandoque vitæ re-
deat, vt quaſi deſperatione fracti exclament, Vereat dies

Omnis ſeli-
citus in
Deum pro-
icienda.

in qua natus sum, Iob. 3. Obsecro Domine, tolle animam meam, 3. Reg. 19. Tædet animam meam vitæ meæ, Iob 10. Vt quid Domine recessisti longè, despicias in opportunitatibus, in tribulatione? Psalm. 9. Atqui iuxta Paulum, 2. Corinth. 4. non angustiantur, licet operiantur, id est, anxij reddantur, non destituuntur: licet persecutionem patiantur, non derelinquuntur, licet deiciantur, non pereunt: semper mortificationem Iesu Christi in corpore suo circumferentes. Idè sanctissimum hunc legis suæ zelatorem licet extrema pati sinat, tamen in exemplum omnium eorum qui fortiter gladio Spiritus Baalitis, idololatrias, Mennonistas, Zuvinglianos, Calvinistas, & Lutheranos, aliasque omnes fidei pestes opprimunt, etsi quandoque succumbere videantur, ne facile animos deiciant, sed ut in ipso spem omnem in afflictione collocaret, exsiccatam iam Torrente ablegauit in Sareptam Sidoniorum, ad mulierculam marito destitutam, & pauperem: nam extra portam ligna colligebat. Quo significauit veros verbi Dei ministros tempore persecutionis non aliò quàm ad Ecclesiam, quæ destituta Christo videtur, & pauperula, cõfugere debere, quæ merito crucis omnibus vbique aduersariis restitit.

2. Secundò, Plusquàm stupendam obedientiam Prophetæ in summa omnium necessitate constituti, & mulieris Sidoniæ laborantis inopia rei familiaris, qua ex fide, omni tergiversatione, quam humana ratio suppeditare potuisset, seposita, ille obediuit verbo Dei. statim enim surrexit & abiit in Sareptam Sidoniorum, hæc vocanti & iubenti Prophetæ mox obtèperauit, ut in utroque sexu agnoscas latentem spiritus energiam, quæ tempore noui testamenti reuelata est, fuisse significatam. Atque intelligas, ut iudicare videtur Christus, Luca 4. in hac muliere ex gentibus collectam Ecclesiam, quæ verbum Dei repellentibus illud Iudæis, Acto. 14. non externo tantum suscepit auditu, sed interiori. Est enim certissima veræ Ecclesiæ, quam Paulus sponfam Christi, domum Dei, & columnam & firmamentum veritatis appellat, nota, non solus scripturæ contextus, sed vera obedientia, qua captiuatur intellectus in obsequium fidei. In qua nec ex iudicio ra-

*Certissima
vera Eccle-
sia nota
verbū Dei
cum obedi-
entia suscipere.*

H iiii

PERIA TERTIA

tionis humanæ interpretatio sit scripturarum, vt fieri pro dolor, videmus in synagoga Satanæ, & conuenticulis hæreticorum: vbi tot sunt scripturarum interpretationes, & sententiæ, quot capita sunt professorum, ac plura quàm ex diametro pugnant. Atqui vera Christi Ecclesia, quam vnâ, sanctam, Catholicam, & Apostolicam cõfitemur, audito veri Eliæ verbo, excipit illud non vt hominum verbum, sed sicut verè est verbum Dei, cuius si sublimitatem in omnibus non intelligit, non superbè ad rationis humanæ limam exigit, sed humiliter se excusat, vt hæc Særeptana, quæ paupertatem suam præceperat, quòd panem non habeat, sed paululum tantum farinae, & pugillum olei, id est, quod solis naturæ donis panem verbi Dei, quod procedit de ore Dei, quo viuimus, Matthæi 4. comparare nequeat, nec verum illius assequi intellectum.

Fructus fidei.

3 Tertiò, Fructum fidei, qua mulier destituta marito, facultatibus orba, egestate astricta, & paruulorum turba oppressa, his nihil impedita mox credidit diuinæ promissioni, & obedientiæ, qua neglecta propria salute, facit quæ præcepit Elias, suscipit Prophetas, non de se, nõ de paruulis sollicita occidit in se hospitalitatis intuitu naturæ officia, vt non immeritò hanc cum Abraham, Isaac, Iacob, aliisque sanctissimis conferre aliqua ex parte possis. Neque irrita fuit hæc tanta virtus, haud dubiè ex spiritu Dei profecta: mox enim quasi diuina mercede remuneratur. Nam vbi nec ros, nec pluuia, nec veris aura, nec colonus, sit viduæ manus perenne torcular, & omnia in omnibus sermo Prophetæ affatim viduæ ministrabat, siquidem hydria farinae non deficit, nec lecythus olei est imminutus. Ita enim potens est Deus omnem gratiam abundare facere in nobis, vltra quàm petimus, aut intelligimus, 2. Corinth. 9. Atque hæc est peculiaris Ecclesiæ, à sponso suo Christo, qui eam mundauit lauacro aquæ in verbo vitæ, gratia, vt iis quæ salutis fidelium sunt necessaria, non destituatur Parata enim habet farinae sata Euangelica, quibus famelici & esurientes replentur bonis, qui nempe esuriunt, & sitiunt iustitiam, nec saturi sunt persuasionem propriæ inicitia, & vnctionem Spiritus, qua potest consolari eos qui

in omni pressura sunt: Nempe, verbo veritatis, sacramentorum legitima administratione, & charitate, quæ diffunditur per Spiritum sanctum in cordibus fidelium, Matthæi 16. in vera Christi Ecclesia, ut nunquam defuerunt, ita nec deficient: perstitit enim firma hæcenus istis quali spiritualibus vitæ necessariis instructa toto orbe diffusa Ecclesia, quæ indies qui ingenui sunt eius filii, seruantes vnitatem spiritus in vinculo pacis, in hac vita pascuntur, & sustentantur, ut possint resistere in die malo, & in omnibus perfecti stare, educati, scilicet, super aquam refectionis in loco pascuæ, donec videant Deum Deorum in Syon.

FERIA TERTIA HEBDOMADAE

SECUNDAE, EVANGELIUM.

Matthæi 23.

Tunc Iesus locutus est ad turbas & ad discipulos suos, dicens, Super Cathedram Moysi sederunt Scribæ & Pharisei, &c. Finis Evangelij: Qui autem se exaltauerit, humiliabitur: & qui se humiliauerit, exaltabitur.



CONTRA fanaticos illos agit Christus, qui omnem Ecclesiasticam functionem sublatam volunt: quique improbitate ac licentia vitæ hanc fœdè contaminant, æstimantes virtutem sacramentorum ex virtute ministrorum pendere: Proinde Christus hoc in Euangelio tria ostendit.

I Primò, Dum ait, *Super Cathedram Moysi sederunt Scribæ & Pharisei, & omnia quæcunque dixerint vobis, seruate & facite*, ostendit auctoritatem non tantum civilem, de qua Paulus, Romanorum 13. sed etiam Ecclesiasticam ex Dei esse ordinatione: non enim est potestas nisi à Deo, & fideles in libertatem vocatos, debere tamen ministris Ecclesiæ parere scilicet, in iis quæ ex verbo Dei aut scripto, aut tradito docent. maxime si quando nihil aliud spectant, quam quod Dei gloriam, & proximorū

*Au-
thori-
tas civilis
& Ecclesi-
astica est ex
Dei ordina-
tione.*

*Cathedra
Mosi quæ
potestas.*

salutem promoueat. Est ergo Cathedra Mosi, legitima docendi, imperandi, corrigendique potestas, à Deo, qui Mosén primùm, additis certis vocationis suæ signis, vocauit, collata: quam post in Polyta Iudaica semper defendit, vt videre licet in Iosue, Gedeon, Samuel, summis Sacerdotibus, omnibus Prophetis, penes quos & polytica & Ecclesiastica erat autoritas, donec sublata iudiciali potestate, Regia est instituta: tunc enim penes Sacerdotes tantùm & Prophetas remansit autoritas Cathedralis, quibus sublati, quod ante tempora Machabæorum accidisse Iosephus lib. 13. cap. 9. quando Scribæ & Pharisei sunt rerum potiti, testatur, quorum vita etsi improba, & hypocrisis, omnino constaret, ipsorum tamē doctrinā, quia à Mosi, & decalogi diuinitus, traditi doctrina non dissideret, voluit Christus à turbis, quæ non possunt altius in diuinarum rerum considerationem assurgere, recipi: neque vult hoc suo præcepto propter improbos mores, piam & sinceram doctrinam contemni.

Christi Cathedra est potestas à Christo Apostolo & omnibus Episcopis collata in Ecclesia.

Cathedra autem Christi, publica potestas à Christo Apostolis, & omnibus Episcopis collata in Ecclesia: iuxta illud, Sicut misit me pater, & ego mitto vos: scilicet, cum potestate prædicandi Euangelium omni creaturæ, baptizandi omnes gentes, ligandi & soluendi: iuxta illud, Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: & sacrificandi corpus Christi, iuxta illud, Hoc facite in meam cōmemorationem, Luc. 22. Complectitur denique hæc potestas omnia quæcunque ad Ecclesiæ, quam vocat Apostolus corpus Christi, integrum ac perfectum pertinent ministerium, in ædificationem, non autem in destructionem: quæ quum non dependeat ex ministrorum, sed Dei instituentis virtute, prohibet hoc loco Christus hanc contemni, ob ministrorum improbitatem aut lasciuiam. Si enim efficacia erant ministeria Sacerdotum veterum, quæ tamen typica & umbratica, multò magis certè Euangelica ministeria à Christo instituta, necnon Cathedra pestilentie, Satanae potestas, quæ sese in peruersa doctrina exerit in Ecclesiæ Christi perniciem. Huic insident non ij tantum qui impiæ sunt vitæ, sed quotquot falsa doctrina Christo repugnant: quales sunt omnes aduersarij fidei, quorum hæresis, vt

Satanae potestas quæ.

cancer, serpit, 2. ad Corint. 2.

2. Secundo, Arguit impiam & superstitiosam Phariseorum religionem praeposteram, qui ex rebus externis sanctimoniam metiebantur, dum onera grauius humana, scilicet, constitutionum, pugnantium cum verbo Dei, quas damnat Christus, Matth. 15. 23. & importabilia. Quid tentatis Deum imponere iugum super cervices, quod neque nos, neque patres nostri portare potuimus? Act. 15. Imponunt super humeros hominum, ut seueritate praepceptorum tanquam seueri Aristarchi, apud plebem haberentur: quum ipsi tamen digito non mouerent, quum veri sit Episcopi, quem posuit Christus, regere Ecclesiam, Act. 20. & Pastoris, quem vult pascere gregem sibi commissum, 1. Pe. 15. & praedicatoris, cuius est praedicare opportunè, importunè, 2. Timoth. 4. officium verbo, & opere praestare quod docent. Turpe est enim, distento ventre, ructante crapulam stomacho, crepare ieiunia: ac denique bacchanalia viuere, quum Curios similes. Ea enim verè est, quam hic Christus detestatur hypocrisis, duplex apud Deum iniquitas, quibus nihil esse mundum potest, quum inquinata sit ipsorum mens & conscientia. Proinde quum in iudicio Dei consistere nequeant, utpote vera iustitia destituti, omnia sua faciunt ut videantur ab hominibus. Nam dilatant phylacteria, magnificant fimbrias, amant primos recubitus, primas Cathedras in synagogis, salutationes in foro, & vocari ab hominibus Rabbi. Ea est enim carnis natura non illustrata verbo Dei, quod voluit Deus esse lucernam pedibus nostris, ut splendore externarum caeremoniarum, quarum corporalis exercitatio ad modicum utilis est, quum pietas sit, quae ad omnia valeat, laudem venetur humanam. Damnatur aduersarij ex hoc Christi verbo, quicquid penè est piarum caeremoniarum in religione Christiana, aut Monasticis exercitijs, quae ceu compendia quaedam consequendae salutis, pia patrum ex verbo Dei instituit religio, quasi tam essemus (ut illi loquuntur) stupidi ac bardi, ut salutem metiremur ex natura rerum externarum, scilicet, vestitus, rasurae, vitae genere, aliisque tyrocinis vitae Monasticae: quum nihil minus vnquam docuerit vera Christi Ecclesia, quae ex

Sanctimonia non metienda in rebus externis.

Est veri Episcopi regere Ecclesiam.

Hypocrisis duplex apud Deum iniquitas.

Impietas Haeticorum circa caeremonias.

uiua fide per solum Christum, agnoscit seruari se posse, Proinde nec locum nec habitum per sese quēquam sanctificare, quin potius Tragicis huiusmodi Monachis, qui præter externum vestitum, nihil prorsus habent veræ religionis aut pietatis, vt meritò cum iis quos hic perstringit Christus, conferri possint, hæc maioris fore damnationis causa asserit.

3 Tertiò, Vult Christus populum abducere ab admiratione Phariseorum, falsaque opinione, quam de seipsis habebant, quanquam hoc (vt monet Augustinus lib. de vnitare Ecclesiæ cap. 5.) nobis non sit imitandum, quia hæc Christus Phariseis exprobrat, nō vt homo tantum, sed vt occultorum cognitor. Itaque Christus quum sanctimoniaru huiusmodi abstulisset, suos veram humilitatem, ac modestiam animo docet, dum prohibet Rabbi, vel patrem vocari, quodd, scilicet, vnus sit magister, & Pater in cælis: quo loco nō putabimus Christum simpliciter horum cognominum vsum prohibuisse siquidem Paulus sese vocat doctorem gentium cum fide & veritate, vult etiam seruos dominis suis morem gere, filios patres reuereri, & discipulis licet eos à quibus instituuntur, præceptores & magistros vocare. Verum damnat Christus horū agnominū vehementes affectus in eis, qui solius inanis gloriæ causa ista petūt: vt sic plaris apud plebē fiant, & ab ipsorū placitis populus depēdeat. Est enim vnus & verus Pater Deus, vnus & verus magister Christus: à cuius debemus pēdere præceptis, vt non liceat nobis alterius cuiuspiā iurare in verba magistri. Peccāt igitur, qui studio inanis gloriæ, istum honorem expetunt, vt scilicet, tanquā semidei ab hominibus salurentur, nec aliter, quā oracula, ipsorum responsa recipiantur. quod absit, vt cogitet homo Christianus, qui scripturarum cognitionem habet. Si enim Paulus, qui verus erat gentium doctor, in fide veritatis noluit dominari fidei tuorum, 2. Corinth. 1. nequaquam decet cum hac opinione titulos venari, vt scilicet, velint ob promotionis dignitatem ita suscipi, ne decedere ab ipsorum doctrina liceat, dum audent scripturas, nō ex intentione Spiritus sancti, non ex communi sacrosanctæ Ecclesiæ cōsensu, sed proprio arbitrio interpretari, quod

solius est Christi. Talium pro dolor, hoc infœlici nostro seculo quanta sit turba, satis suo malo varia experiuntur regiones: in quibus miseræ plebeculæ magna & incredibili tyrannide domoantur sectarij: qui sua variarum hæreseon paradoxa, non secus ac si diuina essent oracula, proponunt. Vult enim Christus omnes sibi esse subiectos, qui magisterij titulos accipiunt: non vt honoris tantum sint otiosi magistri, sed qui populum doceant, ne quid contra ipsius verbum doceant.

FERIA QUARTA HEBDOMADAE

SECUNDAE QUAD RAGESIMAE,

Epistola, Esther 13.

Mardocheus autem deprecatus est Dominum, memor omnium operum eius, & dixit, Domine, Domine rex omnipotens, &c. Finis Epistolæ: & ne claudas ora te canentium.

Luc. 18.



ESTHER in oratione, quam ex animi angustia domino offert, agit tria.

I Primò, vt gratiam Dei atque eius in se misericordiam obtineat, humili confessio- ne, Deo tribuit omnipotentiam, imperij dominatum, & gloriam. quibus epithetis, tanquam soli Deo propriis, solent veteres, si quando in rerum desperatione essent constituti, ipsum ex fide inuocare, qua crediderunt esse eum solum, qui & posset, & vellet suos de tentatione eripere, qua fiducia crediti fortiter quicquid esset aduersitatum, miseriæ, persecutionum, & afflictionum ferebant, scientes non nisi iusto Dei iudicio, & suorum peccatorum merito accidisse, non casu aut fortuito, vt solent impij, Dei prouidentiam ignorantes, dicere in corde suo, Non est Deus, Psalm. 13. Quales nunc multi sunt Epicurei, Sardanapali, Alcinoi: & canes impudētissimi: quos non magis præsentium temporum agit calamitas, quæ si prorsus omni sensu essent destituti: sic suis immeriti deliciis & voluptatibus, vt quasi Stoicam quandam indolentiam induisse videantur. At longè profectò aliter nostra Esther, quæ licet in summis agere deliciis videretur, nempe, potentissimi regis Assueri con-

Omnipotentia soli Deo propria.